

Joannis Baptistae Morgagni Nova institutionum medicarum idea.

Contributors

Morgagni, Giambattista, 1682-1771.

Publication/Creation

Patavii : Apud Josephum Coronam, 1712.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/sx6c3zdg>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

JOANNIS BAPTISTÆ

MORGAGNI

*Philosophi, & Medici Foroliviensis, in Patavino
Gymnasio Theor. Ordin. Medicina Professoris*

NOVA

INSTITUTIONUM
MEDICARUM

IDEA.

PATAVII

MDCCXII.

Apud Josephum Coronam sub signo Coronæ

SUPERIORUM PERMISSU.

HERONIMO VERNERIO FORTIS
MARTINO GEORGIO
JOHANNI BRACHONIO
W. O. N. A.

INSTITUTIONUM MEDICARUM

W. O. N. A.

INSTITUTIONUM
MEDICARUM
W. O. N. A.

Illustrissimis, atque Excellentissimis Viris

HIERONYMO VENERIO Equiti, ac Aedis D. Marci
Procuratori,

MARINO GEORGIO,

JOANNI FRANCISCO MAUROCENO Equiti

Senatoribus Amplissimis, & Triumviris Litterariis

Joannes Baptista Morgagnus S. P. D.



Uod facere Architecti neque
inconsiderati, neque indociles solent,
antequam ædificia, præsertim magna,
& longi temporis, atque laboris, ex-
struere incipiant, ut eorum formam
in publico expositam, meliorem, dum
adhuc licet, ex aliorum reddere judi-
ciis contentur, idem ego & paucis ante

mensibus feci, & nunc quoque facio,
 VIRI AMPLISSIMI. Cum enim Institutiones
 quasdam Medicas olim animo conce-
 pisset novas illas quidem, & , nisi fal-
 lor, formando illi perfecto Medico
 quem omnes optamus, apprimè uti-
 les, sed easdem tantæ operæ, & tam
 diuturnæ, vix ut illis perscribendis tota
 hominis vita sufficere posse videatur;
 ne ad eas, inexploratis aliorum sen-
 tentiis, aggrederer, quo primum die
 mihi licuit AUGUSTISSIMI SENATUS, atque
 adeò Vestro Beneficio in hoc Floren-
 tissimo Gymnasio verba facere, in
 magna hominum doctissimorum fre-
 quentia earum ideam & quasi for-
 mam proposui. Et quanquam per tem-
 poris quo scripsi, ac multò magis quo
 dixi, necessariam brevitatem, partim
 quoque per ipsam formæ naturam at-
 que rationem neque omnia expone-
 re quæ sentio, neque ea ipsa quæ expo-
 sui,

fui, ita exprimere potui atque explicare, ut non finè aliquo timore essem, ne alicubi in rebus, alicubi in rerum causis mancus quodammodo, & subobscurus, præfertim minùs attentis, viderer, sæpiùs item aut vanus promissor rerum, nemini, nedum mihi, possibile, aut eorum qui laudandi hìc illic Auctores fuerant, dissimulator ingratus; ea tamen fuit universæ illius Concionis cum in diligenter audiendo benignitas, tum in iudicando æquitas, ut ea omnia necessaria esse brevitatì illius incommoda, non futuri Operis vitia, existimaverit. Quinimmo ex præstantissimis illis hominibus, quorum ut doctrinæ, sapientiæque, ita prudentiæ, atque candori plurimum tribuo, non pauci fuerunt qui me non semel hortati sint, ut eandem orationem typis mandarem, credo quò, non hujus tantùm Gymnasii, sed omnium

Eruditorum antequam Operi admo-
verem manum, sententias perspice-
cerem. Quorum ego hominum confi-
liis non modò deesse nolui, sed ut satis
spatii habeam & ad cognoscenda alio-
rum judicia, & ad formam hanc quam
propono, judiciorum eorum ope, meis-
que ulterioribus meditationibus, hoc
addendo, istud demendo, illud im-
mutando, perficiendam, constitui
initium Operis in quintum, vel sex-
tum annum differre: quo intervallo
(ne omnia inchoare videar, nihil ab-
solvere) in *Adversaria Anatomica Al-*
tera subcisivi temporis partem impen-
dam, ut eorum editio, de qua annis
superioribus, occupatus in medicina
facienda, ne cogitare quidem po-
tui, paulò ante primos Institutionum
libros habeatur. Atque hæ sunt, VIRI
AMPLISSIMI, rationes omnis ejus temporis
quod

quod mihi a Munere assignato vacabit. Quas si cæteris, & inprimis si VOBIS probari intelligam, eas porrò sequar, & constanter servabo; sin minùs, alias quas magis VOBIS placere sentiam, inhibeo. Nam qui ab SENATU AUGUSTISSIMO, atque adeò a VOBIS in hanc sim nobilissimam Sedem honestissimis conditionibus vocatus, homo sim omnium ingratus necesse est, si quidquam aliud dies noctesque quàm fatis VOBIS, & Reipublicæ facere contendam. Quæ etiam causa est cur me a Vestris Laudibus vel in hoc aptissimo contineam loco, quòdeas nimirum VOBIS scio mereri quidem placere, audire autem non placere. Itaque sermonem omitto quo neque illustrior, neque uberior, neque optatior contingere mihi potest, de Magnificentia, de Consilio, de Gravitate, de Constantia, de Fide, de

Innocentia, de Magnitudine Animi, deque istis cæteris summis atque incredibilibus Virtutibus quibus magno usui Reipublicæ & privati, & in Magistratibus, domi, forisque & sæpe fuistis, & assiduè estis, quasque ob Virtutes Vestra ista, ut Maxima, & Sapientissima, sic eadem Justissima cæterarum
 RESPUBLICA cum in vos Honores amplissimos contulit, tum majores conferre meditatur. Tantùm per eximiam Vestram in tuendis, augendisque Litteris Curam, atque Prudentiam, ac singularem istam, dignamque & VOBIS, & Familiis Vestris Inclytis illis, ac Vetustissimis Benignitatem illud vos oro, ut quo me vultu (quæ Vestra fuit Humanitas) excepistis, eodem & meum hoc litterarium munusculum excipiat. Valete.

Patavio Postridie Kalendas Junias MDCC XII.



SI ad tradenda Medicinæ Præcepta AA. Magistrorum valet auctoritas, in celeberrimo hoc Gymnasio ab nobilissimis Viris traduntur; si usus, a peritissimis; si ingenia, ab solertissimis; si facundia, ab eloquentissimis; si studia denique, ab diligentissimis, & cum omnia suis Auditoribus officia, tum maximam sedulitatem præstantibus. Quæ sunt igitur meæ partes? auctoritatis tantæ quantam vos pro vestra humanitate in me esse, volueritis, usus mediocris, ingenii verò, &, si ulla est in me, facundiæ minimè voluntati parium; nam Auditoribus quidem meis si minùs reliquis facultatibus satisfacere potuerim, at officiis certè, & sedulitate me spero satis esse facturum. Quæ hîc & semper habitæ fuerint, & nunc habeantur cum de Scientiis cæteris, atque Artibus, tum de Re Medica Prælectiones, qua gravitate, qua facultate, qua copia, neque dico, neque si maximè vellem, dicere tamen pro dignitate satis possem; hoc tantùm dico, nihil me unquam legisse, nihil audivisse quod mihi de Theorica Medicina subtiliùs dici videretur, nihil de Practica peritiùs, nihil illustriore auctoritate de exemplis, nihil de controversiis graviùs, nihil acutiùs, nihil de tota re medica ornatùs. Quò mihi difficilius contingit impositum hîc Medicinæ tradendæ munus; nam & post eos, & inter eos tradenda est Præceptores ex quorum Prælectionum recordatione plus utilitatis, & voluptatis, quàm non modò ex meis, sed ex cujusquam Prælectionibus capere possitis. Sed mos est gerendus, non modò Amplissimis Rei Litterariæ TRIUM-VIRIS, quorum magnitudinem erga me meritorum nulla unquam delebit oblivio, sed etiam omni Augustissimo VENETORUM SENATUS, cujus ego honestissimo de me iudicio, benignissimoque Consulto nullo modo deesse possum; deesse autem? immo verò etiam non ea ratione respondere, uti omnes intelligant, me summis opibus eniti, & quàm maximè possim, contendere, ut Beneficia in me Sua rectè posita, & ratione collocata esse videantur. Et cogitanti quidem

mihi, ac omnes animo ad novum aliquod utilissimum opus, atque pulcherrimum vias, aditusque repetenti nihil denique visum est dignius novo quodam genere Medicarum Institutionum, quod antequam planius quale sit, dico, necesse est quemadmodum olim in ejus venerim cogitationem, proponere. Quod quidem sic faciam, ut tria illius præcipua capita, itemque eorum utilitates, difficultates, auxilia eâdem operâ edisseram. Id cum breviter fecero, atque ita quæ de illis Institutionibus generatim sunt dicenda, exposuero, tum longiorem aliquantò, & tripartitam orationem ingressus, quæ de ipsis sigillatim, sed per summa capita, tradi possunt, explicabo.

2. Cum in quavis Facultate nemo possit perfectus existere qui id ipsum non spectet, & ad summa contendere non labore, tum verò idem in Medicina contingere necesse est. Non hic pono, liberum esse humano ingenio ad consummatam, & numeris omnibus absolutam medendi artem pervenire; hoc enim aliàs in loco videndum est; sed qui ad eandem se conferunt, illis ad summam essetendendum, id pono. Cum enim vel ex hisce ipsis qui in quavis arte primas appetunt, raros videamus ad secundas, tertiasque provectos, in hac certè cui non minus difficultatis, quàm utilitatis, dignitatisque, insitum esse confitemur, in imo subsistat necesse est quisquis ad summa non enitatur. Hac de causa illud primum visum est mihi, esse Medicum ad spem summam instituendum, talemque informandum qualis adhuc fortasse fuerit nemo. Præterea animadverti, qui Medicas Institutiones scripserunt, quos mihi quidem videre contigerit, eos ita omnes ordiri quasi perfectis omni alio genere doctrinæ summam in arte medica manum imponderent, sive contemnentes tanquam parva quæ prius discimus, studia, sive non ad suum pertinere officium opinati, quando divisæ professionum vices essent, seu, quod proximum vero, nullam ingenii sperantes gratiam circa res, etiamsi necessarias, procul tamen ab ostentatione positas, ut operum fastigia spectantur, latent fundamenta. Mihi verò nihil arti Medicæ alienum existimanti sinè quo optimum Medicum non posse fieri, fatendum est, nec ad ullius rei summam, nisi præcedentibus initiis, perveniri, visum quoque est oportere ad minora illa, sed quæ si negligas, non sit majoribus locus, descendere, nec aliter quàm si Medicus traderetur educandus, studia ejus ab infantia formare, & per omnes quæ modò aliquid Medico futuro conferant, artes ad ejus operis summam perducere. Illud novissimè occurrebat, satis esse non putandum eximio inprimis quem instituendum posuimus, Medico ægrotantium lectulis assidere, sed præterea interveniendum esse posteritati, quæ is scire potuerit, quæque artis gratia inquirere, candidè illa, atque simpliciter in omnium sæculorum notitiam proferendo, tum Reipublicæ obtemperandum, in Scholis modò

atque in Gymnasiis artis rationem aperiendo, in foro aliàs atque in iudicio de veneficiis, de prodigiis, de vulneribus, de aeris, ciborumve salubritate respondendo. In quibus, atque in aliis pariter huiusmodi rebus cum nemo queat rectè atque ordine se se gerere qui ad easdem non sit institutus, hæc quoque omnia Medicis Institutionibus comprehendenda esse videbantur. Sic igitur colligebam, & perfectum Medicum, & per cuncta ab infantia usque studia, & ad omnia quæ in ipsum cadere possunt, officia diligenter esse informandum.

3. Quæcum colligerem, non ego istas quæ sunt in usu, Institutiones abjiebam (probo enim; ne quis fortè secus existimet; & valde utiles esse, profiteor) retinebam potius, retentisque omnia quæ dixi, addebam, ut Medicus tandem institueretur ille perfectus, & quo ne cogitatione quidem & mente excellentior confingi possit. In quo non multum illud verebar, ne si id quod vellem, efficere, eumque Medicum quem cupio, instituere valerem, retardarem studia multorum, qui desperatione debilitati, experiri id nollent quod se assequi posse diffiderent. Nam par est, omnes omnia experiri qui res magnas, & magnopere expetendas concupiscunt. Quòd si quem aut natura sua, aut illa præstantis ingenii vis fortè deficeret, dum teneret modò eum cursum quem posset, non evaderet ille quidem in summum, multos tamen infra se videret. At summa assequi arduum est, & nemo est assecutus. Ante omnia, sufficit ad exhortationem studiorum, non capere id rerum naturam, ut quidquid non est factum, ne fieri quidem possit; namque omnia quæ magna sunt atque admirabilia, tempus aliquod quo primum efficerentur, habuere, & quidquid est optimum, ante non fuerat. Accedebat, tot nos præceptoribus, tot adjumentis instructos esse, ut posset videri nulla sorte nascendi ætas felicior, quàm nostra, cui docendæ cum tota antiquitas, tum verò inprimis novissima tempora elaboraverunt. Quibus nunc addere æquum est vestrum istud acre, & excellens ingenium, & egregiam istam, ac præclaram indolem, Adolescentes studiosissimi, quos propterea unos ex omnibus ad bene medendum maximè natos aptosque reputo, ut vel ex vobis summus ille quem opto, Medicus, vel ex nemine fortasse omnium expectandus esse videatur.

4. Sed cum illud, ut dico, minùs timerem, ne ab aliis magna nimium exigere judicaret, illud contra verebar maximè, ne nimio plus de me polliceri, & jactare me intolerantiùs viderer, si fortè susciperem traderet tantam rem, quantam, non modò facultate consequi, sed etiam animo complecti longè esset difficillimum. A quo quidem consilio etsi ego tam aberam, quàm qui maximè, ut qui de me, meisque viribus, ut à principio dixi, semper ita senserim, & adhuc sentiam, ex quo tamen die allatum est, me summa hujus Immortalis Reipublicæ liberalitate in hoc omnium locupletissimum optimarum Artium, atque Scientia-

rum Domicilium vocari, ex eo die mihi sum visus id posse eniti, non perficiendi quidem spe, sed adumbrandi voluntate. Quod ipsum profectò magnum erat onus, & perquam grave, atque adeò non hisce humeris suscipiendum, nisi illud occurrisset, nusquam tot Socios, nusquam tales consiliorum Adjutores, qui tantum onus magna ex parte verbis, exemplisque allevarent suis, quot, qualesque in doctissima hac, & ornatissima Civitate, me esse reperturum. Cum enim Medicus sit mihi educandus eloquentia excultus, in dialecticis eruditus, in mathematicis, & philosophia exercitatus, juris divini, atque humani non inscius, rei anatomicae, rei herbariae, omnisque materiae medicae scientissimus, universae demum medendi rationis peritissimus, mihi que propterea cum Magistris earum Artium, Doctrinarumque nobilissimis multi sint sermones conferendi, multa sint ab illis postulanda, multa sumenda; ubi haec omnia commodius quam in hac Urbe, consequi possim, non video. Ubi enim terrarum eloquentia ornatius, dialectica acutius, mathesis nervosius, philosophia probabilius, divina, atque humana jura incorruptius? ubi corporis humani, ubi stirpium, ubi rerum naturae historia diligentius? ubi denique cautius, ubi praeclarius, ubi felicius omnis Medicinae ratio, viaeque traduntur?

5. Quò magis confidentiae notam, & offensionem effugere posse videor, praesertim cum tot praeter tantosque Socios atque Adjutores, Duces Auctoresque summo judicio, & auctoritate nactus sim duos, quorum vestigia, non pressa leviter, persequenti apparent, sed fixa atque alta se se ita ostendunt, ut aberrare non sinant. Quid? quòd, non certam modò, apertam, directam, sed munitam quoque viam hi duo reliquerunt, verba nempe, sententias, praecepta instituti mei tam propria, tractandisque rebus tam apta, ut ego iisdem non solum verbis, atque sententiis, sed perpetua interdum oratione, parè ad materiam hanc meam detorta, non uti non possim: quod vel in hac ipsa Praefatione non latere vos, certò scio. Cujus à me facti non est expectanda deprecatio (quanquam quis hanc ultro confitenti negaret veniam?) sed gratia potius habenda est, quòd non commiserim, ut vel minùs idonea oratione, vel compellationum inepta, atque odiosa assiduitate uterer, in quorum alterutro peccandum alioquin erat, optimis videlicet occupatis. Nam ut institutum animo complexus sum meum, nullas paulò notiores aliarum quoque Artium Institutiones omittenti, quin excuterem, & cum meis contenderem, brevi post tempore usu venit, ut M. T. Ciceronis, & M. F. Quintiliani libros oratorios in manus sumerem, & diligentius confiderem. Dici non potest, quantum ipse mihi sim gratulatus, quantumque id gavisus, quòd in tantorum Praeceptorum vestigia incurrissem; uterque enim (quod vos minimè ignoratis) Oratorem omni ex parte perfectum instituunt, alter verò etiam ad ejus studia prope ab incunabilis for-

formanda, atque regenda se se demittit. Itaque cum in binis instituti mei capitibus eos Auctores nactus essem, quorum gravissima auctoritate tueri illa possem, modo, atque ordine luculentissimo exponere, oratione autem locupletissima etiam ornare; tertium, quod relinquebatur, caput de Medico ad cuncta quæ in ipsum cadere possunt, officia informando, hoc verò adjectum cæteris videbatur tum eorum gratia, & suæ utilitatis admitti posse, tum eadem ratione tractari, quam in tradendis illis prioribus didicissem. Quod quidem & coepi facere, & porrò quantum mea valebit infirmitas, sum factururus.

6. Exposui quod primum pollicitus sum, Auditores, quidquid generatim ad institutum pertinet meum; nunc sequitur, ut quale sit, per singula rerum capita edisseram sic quidem, ut quæ nostri Alumni sint partes antequam Medico tradatur, postquam erit traditus, & ex quo eidem ægrotantes tradentur, oratione tripartita proponam: quæ si me intelligitis ut brevissimè possum, planissimèque præstare, vos, quæso, benignè, ut facitis, & diligenter attendite. Postquam principio demonstravero, quæ puer animi, quæque corporis debeat bona præ se ferre, quo de puero spem Medici capere quàm optimam possint, hanc verò tantam spem & expectationem neminem posse, nisi virum bonum, explere, illud primum consequetur, ut puerum doceam frangendis cupiditatibus, & conformandis moribus operam dare, sine sibi proposito, cujus causa nihil non faciat, & quò omnem rationem referat, DEO. Strictim deinde attingenda erit cum istis omnium communibus, contritiisque præceptis homine ingenuo, liberaliterque educato dignis prima illa puerilis institutio, qua sic satis græcè, luculenter autem sciat latinè. Hic ferè de Præceptorum electione sermo erit aliquantò longior instituendus, deque eorum moribus, atque officiis, utque his mutuò discipulum deceat respondere. Non illos pudeat fateri nescire quæ nesciant; pudeat potius quæ unos se existiment scire, ea non candidè communicare. Perspicuè doceant, atque distinctè. Ingeniorum discrimina intelligant, & ut cujusque natura feret, in hoc frenis, in eo calcaribus uti sciant. Discipulos sive domi, sive in publico exerceant, jejuna concertatione verborum digladiari, nunquam sinant, neque eos educent contentionis cupidiores, quàm veritatis. Hæc, & alia hujusmodi quæ in Præceptorum delectu spectari cupio, cum satis ostendero, tum quæ ipsos Præceptores prima omnium præstare discipulis malim, demonstrabo. Quorum hæc ferè summa est. Ut infantix falsas opiniones, & præjudicia ex animo evellant. Ut fallaciis sensuum detectis, & erroribus maxime omnium communibus & pervagatis, contra hos in posterum muniant. Ut nullius in verba, ne in sua quidem, jurare doceant. Non Vetustatem, non novitatem, non consuetudinem admirari & sequi, sed unam, ubi ubi fuerit, veritatem. Hanc illos facile non assequi qui facile & e

vestigio pronunciant, quique potius argumenta numerant, quàm expendunt. Attamen non esse homini turpe se deceptum fateri; turpe esse, cum monitus fuerit, non fateri. Sed cum multò quidem & sæpiùs, & faciliùs promptissimi homines, & præfidentes labantur, quàm dubitantes, & hæsitantes, esse tamen ubi in hanc quoque partem peccetur, vel nimia videlicet cunctatione, vel scientiæ omnis, & veritatis desperatione.

7. His cum præceptis discipuli animus imbutus fuerit, tum consulam, ut ea tradantur axiomata, quæ possint pluribus addiscendis postea Facultatibus inservire. Quorum non pauca cum sint penitus in media Mathesi retrusa atque abdita, ad hanc ut primus gradus fiat, hortabor. Cujus quidem elementa, arithmeticam deinde, & geometricam partem, mechanicam quoque, & staticam, tum geographicam, hydrostaticam, opticam, dioptricam, & astronomicam præ cæteris commendabo. His autem sic erudiri puerum velim, ut quæ ad ipsas attinent, experimenta, quasque haberi in ipsis observationes continget, illo semper comite, atque adjutore habeantur. Idemque in Chymicis, idem in Botanicis, atque Anatomicis etiam laudabo, quarum nempe elementa artium jam tum puero tradenda censeo, ejusque avidæ, & prope vacuæ memoriæ eam vim nominum innumerabilem qua absterri solet adulta ætas, maturè ingerendam. Et illa quidem puer ratione non observationes modò, & experimenta addiscet, sed quæ præterea in hisce excogitandis solertia, in capiendis dexteritas, in confirmandis sedulitas, in tradendis fides requiratur. His tot instructus adjumentis utiliùs multò, atque faciliùs cognoscet quæ ab acutissimis hominibus in tota sunt Philosophia cogitata: quorum quæ probabilia magis fuerint, verique simillima, ea demum sub rerum historiis cumulativissimis, & ut fieri poterit, accuratis ita proponantur, ut liberum sit probabiliora in dies, ut fit, occurrentia reponere, neque tamen philosophica illa commentatio idcirco invertatur, & commutetur universa. Neque interea admoovere aurem negligat divinarum Legum, & humanarum peritis: quos si palàm audire non audeat, quòd eorum Facultatibus nostra hæc medendi vis ne minima quidem societate conjuncta esse videatur; subauscultando tamen mihi excipiat eorum voces, & procul quid ajant, attendat; multos enim Medico incidere casus in quibus id juvet non neglexisse, cum ante a me indicatum est, tum alio loco demonstrabitur. Jam verò Dialecticis, & Rhetoribus dare operam licebit: quas a me doctrinas neque inconsultò, nec sinè Auctore gravissimo in hoc tempus differri, tum planum fiet, cum quàm illas emendatas velim, quàm serias, quàm actuosas, declarabo. Sed ut homines labore assiduo, & quotidiano assueti cum festorum dierum causa, aut voluntate sua ab opere interdum feriantur, ad pilam se, aut ad discum, aut ad metulas conferunt, aut etiam novum sibi ipsi aliquem excogitant in otio non inertem ludum, sic noster cum

cum ab severioribus illis studiis quasi colligere se se volet atque reficere, subciviva hæc tempora haud aliâ in re utiliùs posuerit, quàm in Philologia, & in Critica Facultate.

8. Locus hîc erit nonnullorum querelis, & monitionibus occurrendi: me jam jamque memoraturum, quàm multa & magna, & difficilia sint medentibus necessaria, horum industriam in plura studia non bene distraxisse, vel si mea ratione ad alia ista persequenda satis spatii relinquatur, me tamen nimis duras leges primis ætatibus imposuisse sic ut a me potiùs absterritæ a Medicina cognoscenda, quàm excitatæ, voluntatem discendi simul cum spe perdiscendi abjecturæ esse videantur. Quibus ego monitoribus sic respondebo: qui vulgari ista & quotidiana facultate sit contentus, eum nostras Institutiones nihil onerare, nihil distingere, nihil morari, quin quantum ex ipsis videbitur, sibi sumat, cætera eximio illi Medico & absolutissimo quem informamus, relinquat. Hujus interesse maximè qua mentis acie medicam rationem sit aspecturus, eadem rerum omnium vim naturamque prævidisse. In his tamen artibus non doceri a me tantum temporis, & laboris impendere, quantum ii qui ipsarum tractatione delectati nihil in vita sint aliud acturi; sed ex iis tantum arripere, & cursim gustare, quantum illi satis sit qui ad alium usum sit translaturus. Nec tempus illi nimis breve futurum, qui parcè ipsum, ut nos docebimus, & sapienter dispensaverit, præsertim neque tardi, neque segnis ingenii, qualem quidem instituimus, juveni, neque uno utenti, sed pluribus eodem tempore Præceptoribus. Nam illud quoque demonstrabimus, non confundi animum, ac fatigari quibusque in diversum tendentibus disciplinis, sed sicut in cibis, horum apta diversitate reficimur, unius assiduitatem fastidimus, ita in uno eodemque studio ingenium languescere, plurium certa mutatione recreari.

9. Quæ cum ita esse, ostenderimus, nihil, opinor, erit causæ cur non id quoque Medico futuro præcipiamus, ut inter hæc ipsa diversa studia, jam nunc ea omnia ex ipsa Medicina prædiscat quæcunque poterunt illis cum studiis non difficilè copulari. Nam cum illis quos ante diximus, Philologis, Mathematicis, Grammaticis operam dabit, quid prohibet, aut ab his libros utriusque linguæ explicari qui sint de re medica præclarè, & eleganter conscripti, aut ab illis alteris in Opticis, atque Dioptricis quæ ad oculorum pertinent morbos, paulò uberiùs exponi, aut denique ab illis prioribus Antiquorum pondera, atque mensuras, balnea, artemque gymnasticam potissimùm indagari? Hæc ergo, & hujusmodi alia quæ nostro liceat quasi aliud agenti de rebus Medicis prænovisse, a me diligenter indicabuntur.

10. Post quæ velut novum erit sumendum exordium, & (quæ altera hujus orationis pars est) ad Medici officia transeundum, ac primùm quando tradendus Medico sit adolescens, dicendum. Secundùm hoc,

breviter disquiretur, an summo protinus optimoque sit tradendus. Monebimus, ne quis se allici patiatur magnificis eorum Doctorum pollicitationibus, qui intrâ sex menses, (quod olim Thessalum illum Medicum, & huic propiorem memoriæ Paracelsum fecisse, accepimus) medendi rationem se tradituros universam, promittant. Porro qui empiricam Artem, non rationalem, profiteantur, hos quoque minimè tironibus esse audiendos. Quinam deinde Scriptores, & qua singuli sint ratione prælegendi. Quis in unaquaque Artis dictanda regula, præceptisque sit modus; neque enim quasi quasdam leges immutabili necessitate constrictas medendi studiosis esse ferendas, sed ex quibus pro variis causis, temporibus, ætatibus, & cæteris quæ sunt hujusmodi, conditionibus aliqua mutare usus, studium, consilium, &, quod est caput, prudentia possit. Illud verò etiam atque etiam monebimus, ut diligentissimè Præceptor videat quò sua quemque natura maximè impellere videatur; operæ namque pretium faciet, si ad cujusque ingenium ita suam institutionem accomodet, ut de præfidenti audacique animo tantum detrahat, quantum diffidenti, & nimis timido adjiciat.

11. Hic tandem ad Institutiones istas communes & pervagatas aggrediemur. Quæ quidem perquam breviter a me perstringentur, non quò illa non probem quæ tot, tantique medendi Artifices, & Doctores reliquerunt; sed cum illa pateant, in promptuque sint omnibus (extant enim innumerabiles de iisdem libri neque abditæ, neque obscuri) neque ea tractatione meâ aut copiosius explicari, aut planius exprimi possint, nemo a me expectabit, ut opinor, ut in re nota & pervulgata multus velim & ineptus audire. Siquæ igitur in illis Institutionibus aut addenda, aut mutanda, aut verò omittenda, præsertim de expertorum Magistrorum consilio, videbuntur, hæc paulò uberius memorabimus, reliqua per breviter attingemus. In quibus profectò erit Medicinæ etymon, & quid illa sit, aut quis ejus finis, atque utilitas, sitne ars, & ex quo genere, & quæ sit ei subjecta materies. Sed plura aliquantò verba faciemus de illius origine, factisque progressibus, deque spe futurorum, de primis Auctoribus, & de Sectis, & qui in unaquaque familiam ducant.

12. Postea verò quàm res illas, deque theoreticis methodis nonnulla tradiderimus, Artemque omnem Medicam in quinque divisam esse partes, cum ex his primam percurramus, tum quædam ad Anatomen, utilitatemque ipsius spectantia non reticebimus. Hinc alteram, quæ de Morbis est, partem dialecticè tradendam esse, negabimus; medicè verò, & finè, & perspicuè sic ut melius tertiæ, quæ est de Signis, intervenire possit, consulemus. Quartæ autem, quæ Servatrix est, parti cum historiam medicam ventorum accuratè scriptam, tum de vita producenda libellum commodè adjungenda commemorabimus. Sed in nulla tam-

diu quàm in ea quæ Curatrix est, quinta parte immorabimur. In qua primum de medendi methodo verba faciemus, iis nempe capitibus unde omnia ad omnem curationem præsidia ducuntur. Tum de re herbaria, de pharmaceutica, de chymica: quo in loco non pauca hortabimur, & aliqua ex parte suscipiemus: Ut tironibus præcepta, cautionesque tradantur, quæ in quibus dandis medicamentis sint attendenda, quæ prospicienda, quæ vitanda; tum verò quæ quibus mixtis novæ, & inexpectatæ vires oriantur. Ut genere indicationum universo nova quadam methodo in species certas partito, ut nulla, quantum fieri licebit, neque omittatur, neque redundet, sua singulis speciebus remedia assignentur & simplicia, & permixta, & prompta, & conquistata, quanquam simplicia, & prompta magis, sed tamen permixta etiam, & conquistata, omnia autem usu probata, sic ut simul ac posita sit indicatio, habeant tirones quò se referant unde statim expetita possint medicamenta depromere. Ut neque de specificis, quæ vocant, remediis, quæ utinam tot haberemus quot haberi dicuntur, neque de novis, & incognitis fileatur, sed viæ rationesque tradantur quibus utrorumque natura & vires investigentur. Postremò ut de medicamentorum numero, deque ponderum ratione finienda, hoc est, de formulis remediorum scribendis fideliter, ac dilucidè præcipiatur.

13. Hæc in tradendis Institutionibus consulemus. Erunt & quæ in tradendis cujusque Morbi Curationibus consulamus. Et primum quem ordinem præstet servare, & quam viam tenere. An longiorem hanc, sed celebratam magis & tritam. An breviorẽ illam, & compendiariam, in qua plerisque morbis in certa genera contractis, ut puta Doloris, Inflammationis, Defluxionis, & hujusmodi aliorum, tum communia in genus unumquodque, non verò in morbos singulos singula medendi genera præcipiuntur. Deinde negabimus, ullius morbi naturam, & causas sinè respondentibus cadaverum dissectionibus, curationem verò sinè cautionibus, præceptisque peculiaribus esse proponendam. Præterea dispiciemus, facturi ne operæ pretium sint qui separatim tradere instituant de morbis qui fluidas tantum afficiunt partes, quique tantum solidas, & qui utrasque; tum de acutis, & longis; tum de penitus aliqui parti insidentibus, & distantia ac diversa membra in consensum trahentibus; tum de ingenitis, & in his hereditariis; de implicitis, & in his inter se pugnantibus; de se se in morbos alios vertentibus; de redeuntibus; de vernis, æstivis, autumnalibus, hibernis; de senilibus tandem, virilibus, juvenilibus; nam pueriles quidem, itemque muliebres jamdiu separatim tractari video; artificum autem morbos, & cuique vitæ generi peculiares ab reliquis neque ita pridem, & magna cum laude sejunctos esse, cum uspiam, tum verò hic potissimum non ignoratur. Nec dubium est, eos quoque morbos qui ab animi affectibus oriuntur,

seorsum esse proponendos, omnes verò qui ad Chirurgiam pertinent, longè est evidentissimum. Sed ut de his morbis omnibus tradendum erit, sic de rebus etiam duabus, quarum altera illos præcedere, altera subsequi non rarò solet, minimè erit reticendum, de parvis morborum initiis, horumque remediis, & de illis qui tardè ex morbis convalescunt, quàm maturè confirmandis.

14. Quoniam verò cuncta hæc medicinæ præcepta sicut cognitioni sunt necessaria, ita non satis ad vim medendi valent, nisi illis firma quædam facilitas, seu medicus habitus accesserit; hunc autem consequimur legendo, audiendo, observando, colloquendo, cogitando, scribendo, imitando, &, quod unum tandem plurimum potest, medendo; idcirco de his omnibus ex ordine præcipientur. Et primùm qua in parte medicinæ quis præter cæteros seu vetustus, seu novus Auctor excellat: quid in hisce ipsis cavendum; ut æquus animus, ut liber non minùs ad lectionem, quàm ad reliqua quæ percurreremus, sit afferendus. Hinc quos audire, quos sectari conducat. Quid, & qua ratione, & quo etiam in loco observandum. Urbes namque celeberrimas malim pharmaceuticis, chymicisque tabernis instructissimas, & in quibus publicè a medicis, non tantùm pluribus, sed alia aliis in facienda medicina frequentibus, alia vitantibus, ægrotantium corpora manu, pharmacis, victus ratione curentur, denatorum cadavera discindantur. Neque his modò, etsi magna, & permulta sunt, esse tamen contentus poterit summus ille quem formo, Medicus, nisi præterea longè latèque peregrinetur, in castris versetur, & cum hæc omnia legerit, audiverit, observarit, doctis cum amicis, & æqualibus conferat, atque ita se exerceat, ut quæ sibi mox agenda sint ad ægrorum lectulos, jam nunc exercitatione quasi ludicrà prædiscat, & mediteretur. Cujus ita exercitationis præcepta dabo, ut eam maximè comprobem in qua ex Hippocraticis morborum popularium, aliisque hujusmodi accuratis historiis cujusque ægrotantis casum uno sociorum articulatim proponente, medicam cæteri, ut mos est, consultationem instituant, tum quæ ipsi præceperint, atque prædixerint, cum Auctoris tandem curatione, & ægrotationis illius exitu studiosè contendant: quod cum in morbis plerisque omnibus, tum in his præcipuè quorum vi subita ante æger confici, quàm imparatus Medicus meditari sat possit, etiam atque etiam commendabo. Dies præterea nullus sit cujus certa pars in acerrima atque attentissima cogitatione non ponatur. Ea cogitatione pridie lecta, audita, observata, disputata versare atque agitare, ex versatis autem atque agitatibus dubia excipere, & memoranda oportebit, illa ulterius excutienda, hæc penitus memoriæ tradenda, utraque continuò in adversaria conjicienda. Post hæc de optimo medendi genere tantùm dicere conabimur, quantum nostro adolescenti satis sit ad unum aliquem tum ex iis qui fuerunt, tum ex his qui

qui sunt adhuc, Medicis quem imitetur, eligendum. Quem tamen quoniam ita sibi proponere ad imitandum debet, ut longè illum multùmque superare nitatur, idcirco protinus de cauta imitatione verba faciemus.

15. Quibus absolutis, ac nonnullis hoc loco interjectis de Assistentis Medici officiis, de medendi Potestate, ac ejus Insignibus promerendis, & de prudentia, cæterisque virtutibus ad artis usum necessariis, aliquando ad curandos ægros (quæ postrema hujus orationis pars erat) mitemus illum quem instituimus, Medicum sic tamen, ut certas quasdam admonitiones, quasi comites, adjungamus. Et illud primùm videndum erit: quod sit incipiendi medicinam facere tempus, ad medicum quidem quod attinet, num illud quod ætas denique affert, an illud potius quod ob studium, & diligentiam interdum quoque præcurrit ætatem; quod autem ad morbos pertinet, illud certè quo morbi faciles, & tutissimi dominantur. Hinc quæ in suscipiendis curationibus sint observanda, quæ in excogitandis, quæ in adhibendis. Non ea mihi convellere adoriatur quæ non possint removeri; levamen tantummodo hic promitter, & interitus prolationem. Non plures mihi ægrotantes suscipiet, quàm quibus singulis summa cura possit consulere. Nihil in his paulò notabilius dimittet quod non suæ meditationi subjiciat, nihil quod in ephemeridem suam non referat. Nunquam ægrotantes, atque domesticos aptis, cautisve prædictionibus, Chirurgorum autem famulos, obstetrices, pharmacopolas, cæterosque ministros, artis, & muneris quemque sui eminenti præstantique peritia in officio non retinebit. Hæc præterea admonebitur. Ne quid noceat. Ut ab levioribus, quandocumque liceat, auxiliis ordiatur. Ut perrarò ad remedia vehementia decurrat, annis præsertim primis; sed quàm poterit mitioribus, atque paucioribus sit contentus. Ne statim plerumque mutet, si quæ non statim profuere; contra aliquando aliud continuò, atque aliud experiatur. Quonam quiescere præstet tempore; quonam movere. Quonam imitari, aut sequi naturam; quonam morari, vel anteire. Quonam sit, aut non sit tritis Artis præceptionibus utendum. Quid agendum in novis morbis, quid in latentibus, & ad tempus incognitis. Quando denique, & qui sint in consilium adhibendi, & quemadmodum Consultationes & coram, & per litteras instituendæ.

16. Hæc cum fuero exsecutus, non hic Medicum quem fingo, deferam, sed per omnia quæ quidem cadere in ipsum possunt, munera atque officia deducam. Non de Medici Conducti, non de Archiatri, non de Collegiis adscripti, non de Professoris publici officio ac partibus reticebo. Quanquam ita hoc loco interpellari me posse intelligo, quasi hæc omnia ut complexurum me verbis spero, sic facultate esse jam complexum existimarem. Ego verò, cujus tantum ab omni arrogantia ingenium, voluntasque abhorrent, quantum debent; debent autem

maximè; etsi ab nemine æquo, & intelligente homine ita interpellari me posse, scio propterea quòd & quò, & quibus freris adjumentis intendam, satis est ante declaratum; tamen si quis fortè sic interpellat, is sibi hoc persuadeat, velim, me non multò secus facturum, cum de Medico absolutissimo, cunctisque ejus partibus disputabo, ac facerem, si esset mihi de Pictore dicendum: negarem enim, posse eum satisfacere in tabulis, nisi rectè lineamenta describere, nisi cui pigmento quod pigmentum deceat apponere, didicisset; neque ea cum dicerem, me esse pictorem necesse esset, sed fortasse non stultum alieni artificii existimatorem. Similiter ea cum attigero, non quid ego, sed quid ille possit eximius, quem cupio, Medicus, si modò quis esset, aut si etiam unquam fuisset, aut verò si esse posset, haud scio an feliciter, certè diligenter adumbrabo.

17. Nunc ad vos, Auditores æquissimi, doctissimique, & ad institutum revertens meum; quoniam usu Medicis non rarò venit, ut non modò a privato quoque homine, sed a Magistratibus utriusque Fori consulantur partim de superstitione, de miraculis, de fascinatione, de mutilatis, de monstris, de notis virginitatis, de jejunii, & sacrarum precum ex formula recitandarum, vel audiendarum, & conjugalium tandem legum observandarum potestate; aliàs de aere, aquis, rebusque cibariis, de peste, & contagione, de legitimo partus tempore, de amentia, de iectibus, & vulneribus, de veneficiis, de morbis denique vel simulatis, vel redhibitioni locum facientibus, vel tormenta quæstionesque prohibentibus; quoniam, inquam, de his omnibus sæpe Medici responsum quæritur, Nostrum ego, ut scitè illud dare, & prudenter possit, certis quibusdam præceptionibus informabo: quas si ignoret, alterutrum, quando cumque consultus fuerit, necesse erit, aut tempus habeat cognoscendis non solum rebus quæ in quæstione versentur, sed multis præterea, & variis, & ab nostra penitus Facultate sejunctis, aut videatur sibi in novum terrarum orbem esse delatus.

18. Sed hæc omnia quæ nostro hætenus laudavimus Medico, ut multa sint, ut præclara, ut reipublicæ conducibilia, finibus tamen angustis sanè & exiguis continentur, si cum ea laude utilitateque conferantur quam scientia affert, digna, & profutura tradendi litteris, ac memoriæ cunctorum hominum sempiternæ. Quamobrem non ante nostris Institutionibus finem faciemus, quàm diligenter videamus, quæ sint Medico potissimum, & quemadmodum scribenda. Illud autem primum ponemus: cum minimè possit is quem sæpe diximus, Medicus perfectus & absolutus existere, nisi Medicina, quantum valent hominum vires, ipsa perficiatur, illius maximè interesse, quæcumque egerit, nedum scripserit, huc tendere & spectare universa, ut ea quæ Arti defunt, cumulatissimè afferantur, Namque, ut propositum non assequatur, fal-

sa tamen deprehendendo, & vera detegendo, multa Arti, multa sibi & subsidia addet, & ornamenta comparabit. Sed cum illi primum removenda sint omnia quaecumque obstant, & impediunt, hæc a me diligenter indicabuntur, & in his universalium, abstractarumque ab rebus meditationum velut præcox, & multò major quàm utile sit rebus publicis, consecratio, propter quam laudabilis ille mos & aphorismos, & historias, & observationes simplices, ac nudas scribendi longo est intervallo prætermisus, tum imprudens illa ratio res longè abstrusiores, aut etiam majores investigandi, quàm ut hominum possint sensu, aut cogitatione comprehendere, quarum utinam notitiam aliquam habere possemus; sed domina Natura est. Porro cum ex hisce rebus quarum tractationes desideramus, non paucas ante indicaverimus, ubi de vulgaris Institutionibus, deque Morborum Curationibus locuti sumus, nonnullas hinc addere satis erit, & primum rectam causarum quibus morbi continentur, inquisitionem. Quæ quoniam nulla aptius via, quàm morbosorum & cadaverum sectionibus, & fluidorum observationibus indagantur, de his rectè instituendis, seligendis, digerendis verba faciemus: quas cum ad cæteras, tum verò inprimis ad dignoscendas infantium ægrotationes commendabimus, ut quibus natura suos posse indicare morbos negavit, illos ars, quasi opportuna, & amica interpret, ne deficiat. Hæc præterea desiderabimus. Ut Medicus quisque det operam, ne in civium suorum morbis, patriæque idoneo medendi genere hospes sit, & si quæ valetudinum, si quæ præsidiorum genera cum rara sint, aut penè ignota cæteris gentibus, suæ tamen regioni sint frequentissima, ea litteris prodat, & memoriæ posteritatis propaget. Ut in ea quam institui posse diximus, de longis morbis tractatione, in quibus quidem curandis multò plùs sanè quid Medicus, quàm quid valeat fortuna, perspicitur, quo in morbo quæ sit aptior ægrotantibus regio, diligenter commemoretur. Ut non minùs de novis remediis, quàm de novis morbis, deque his inclinatis, utque sic dicam, senescentibus, de non ita bene tractatis, de neglectis, atque omissis, de abditis, & cognitu difficilibus non difficulter cognoscendis, de illis demum qui vulgò insanabiles existimantur, & eorum tamen, quando-cumque successerint, curationibus tradatur. Quibus, atque aliis præterea hujusmodi quæ in Institutionibus enumerabimus, si diversarum, & pugnantium, in Artis præsertim activa parte, sententiarum conciliatio accedat, interea possit ferri tolerabiliùs cumulatae Artis perfectionis desiderium.

19. Sed quidquid Medicus scribere instituet, mihi quidem & latina, & eleganti, & pressa moderatè, non redundante ac superfluente, oratione conscribet; latina, ut pluribus longè latèque intelligatur; eleganti, ut vel fastidii, vel melioris alieno sub nomine paraphrasis;

non superfluente, ut vel tædii, vel epitomes metuenda Auctoribus pericula effugiat. Et hæc quidem generatim. Sigillatim verò trademus de scribendis Medico Præceptionibus, Meditationibus, Historiis, deque his sæpe utili, aptaque delineatione Figurarum, de Criticis, & Apologeticis Scripturis, de bonis libris ex peregrina, aut barbara in linguam latinam convertendis, de antiquis denique tum incertis dignoscendis, tum mendosis restituendis.

20. Postremò quod cessandi tempus capere, & quæ, hoc capto, præstanti summoque Medico novissima studia convenient, in extrema Institutionum nostrarum parte disputabitur. Sed, ut ego ante dicendi finem faciam, quàm vos me benignè, attentèque audiendi, quid in tota hac parte sim consulturus, malo in vestris cogitationibus relinquere, quàm in oratione mea ponere.

21. Atque de eximio Medico instituendo edidi quæ potui, non ut volui, sed ut me temporis angustia coegerunt. Quæ tametsi strictim quasi per transfennam prætereuntes aspexistis, primùm nihilominus vos hortabor, diligentissimi Adolescentes, ut si illam præclaram, & eximiam speciem Perfecti Medici adamastis, tantum illi consequendæ, operæ studique navetis, quantum me sedulitatis, & officiorum omni tempore in vos conferre, sentietis. A vobis autem, quos & singulos, & universos præcipuo semper honore prosequar, Collegæ Sapientissimi, illud majorem in modum peto, ut, si arduum quod institui, & perdifficile Opus non improbatis, mecum suscipere ne gravemini. Sin vos, alios longa vita, & in studiis consumpta, partim usus rerum maximarum docet, me ab impari onere abstertere, vestris monitis, consiliisque parebo, contentus, rudimentum Operis primis tantùm lineis descriptum exhibuisse, quod alii olim me longè meliores, non (quod ego polliceri possem) paulò distinctiùs adumbrare, sed implere, informare, & numeris omnibus absolvere fortasse conentur. Quod superest, a TE etiam atque etiam quæso, JOANNES CORRERI, Generis Splendore, & Virtutum omnium quæ in Virum Principem cadunt, Præstantia Ornatissime, hujusque adeò Præclarissimæ Urbis Præfecte, ac Proprætor Meritissime, ut pro Tua ista patria, & domestica Humanitate orationi des veniam meæ, quòd cum Tua tempora, tum publica, quibus ea tribuis, commoda paulò diutiùs sit morata. DEUM verò Optimum Maximum precor, ut si Augustissimo VENETORUM SENATUI, Amplissimisque Rei Litterariæ TRIUMVIRIS, a quibus hoc mihi est Munus honestissimum, gravissimumque concreditum, si iis, inquam, me videt gratias quidem agere tantas non posse, quantas debeo, sed tamen quantas maximas possum capere, & nunc habere, & esse habiturum, dum vivam; tum faxit, ut mihi dignæ Munere, dignæ TRIUMVIRIS, dignæ SENATU

(XXIII)

TU hæ, quas hodie cœpi, Perfecti Medici Institutiones prove-
niant.

FINIS.

These books contain, printed in the
original language, the following

FINIS.